In Nomine domini Amen. Tenore huius presentis publici Instrumenti Cunctis pateat euidenter et sit notum Quod Anno a natiuitate eiusdem Domini Millesimo quadringentesimo Tricesimoquarto Indictione duodecima die vero Sabbati Sexta Mensis marcij Pontificatus sanctissimi in christo patris ac domini nostri domini Eugenij diuina prouidentia pape quarti Anno Tercio Basilee sacro generali ibidem Residente Concilio in maiori stuba dicte Ciuitatis Basilien. Reuerendissimis Reuerendis in christo patribus ac dominis dominis ludouico patriarcha Aquilegiensi Amedeo Archiepiscopo lugdunensi francisco pauimensi ludouico lausanensi francisco Cumano Episcopis Johanne de dompnomartino Ordinis premonstratensis Johanne sancti Cornelij de Compendio Ordinis sancti Benedicti Ambianen. et Suessionen. dioc. monasteriorum Abbatibus necnon venerabilibus ac circumspectis viris dominis et magistris Johanne pulcripatris in sacra pagina henrico flekel Causarum Curie camere dicti sacri Concilij Auditore henrico Nitardi Canonico Constantiensi promotore Magnimme et petro Corseyn in decretis licentiato vnacum pluribus Aliis in magno numero hora sacre deputationis pro Communibus consueta et pro ea tenenda ac celebranda de mane more solito congregatis prefato domino Abbate sancti Cornelij in eadem Presidente In mei notarij publici et testium infrascriptorum presentia lecta primo per me notarium infrascriptum de mandato eiusdem domini presidentis de verbo ad verbum Requesta pro parte Reuerendissimi patris domini Archiepiscopi necnon venerabilium virorum dominorum prepositi decani et Capituli singulorumque canonicorum et personarum Metropolitane ecclesie Rigen. Ordinis sancti Augustini eidem sacre deputationi pro Communibus oblata Cuius Tenor sequitur et est talis **Reuerendissimi** Reuerendi venerabilesque in christo patres et domini huius sacre deputationis Exponitur paternitatibus vestris pro parte Reuerendi patris domini henningi Archiepiscopi necnon prepositi decani et Capituli singulorumque canonicorum et personarum Metropolitane ecclesie Rigen. ordinis sancti Augustini grauem cum querela quod licet magister et fratres hospitalis beate marie ordinis theutonicorum in liuonia existentes sint dicte ecclesie Rigen. feudatarii ac terciam partem terrarum eiusdem ecclesie in feudum receperint promde Reuerendo patri domino Archiepiscopo et Capitulo debitam obedientiam promittentes Nichilominus ipsi magister et fratres ex dictis eis donatis feudis et aliis bonis tam mobilibus quam etiam immobilibus per eos ipsi Rigen. et eius suffraganeis ecclesiis vi et violenter ablatis ingrassati ipsis domino Archiepiscopo et Capitulo Iniurias Iniurias et violentias sepenumero intulerunt ymmo ecclesiam ipsam Metropolitanam ipsorum magistri et fratrum propter donationem predictam dominam qui ordinis est et diu fuit sancti Augustini conati sunt per violentiam et per impressionem sibi et eorum ordini videlicet beate Marie incorporare et per suos visitatores visitare et reuera aliis diuersimode acquisitis modis et violentiis ad perpetuam Redigere pheudalorum seruitutem prout hec et plura alia temporibus oportunis lucidioribus apparebunt documentis Quapropter prefati Reuerendus pater dominus henningus necnon prepositus decanus et Capitulum singulique canonici et persone dicte huiusmodi venerabilis metropolitane ecclesie Rigen. super premissis oppressionibus et violentiis de oportuno Remedio ad hanc sacrosanctam synodum Basilien. omnis Iusticie fontem Recurrunt humiliter supplicantes quatenus hec sacra deputatio Aliquem Reuerendissimorum Reuerendorum et venerabilium patrum eiusdem sacre deputationis deputare dignetur qui audiat huiusmodi partibus se summarie simpliciter et de plano sine omni strepitu et figura Iudicii etiam sine obseruatione terminorum informet et id quod coram eis lucide fuerit per partes hincinde dictum et placitum huic sacre deputationi Referat vt hec sacratissima Synodus salubriter ipsi ecclesie Rigen. desuper prouideat oportune **Habitaque** super contentis in eadem Requesta deliberatione Matura ac votis dominorum singulariter scrutatis Tandem pro parte dicte deputationis pro communibus fuit deputatus Reuerendus pater dominus Episcopus landensis pro tunc deputatus aliarum deputationum se informet de contentis in eadem Requesta et Referat **Subsequenter** vero Anno Indictione quibus supra Pontificatus prefati sanctissimi domini nostri pape Anno quarto die vero Jouis vicesimanona mensis Julij In dicta sacra deputatione pro Communibus super supplicatione suprascripta placuit quod loco Reuerendi patris domini landensis Episcopi a concilio notorie absentis surrogetur et surrogatus est Iudex in causa dominus petrus Corseyn De et super quibus omnibus et singulis premissis pro parte dictorum dominorum Archiepiscopi prepositi decani et Capituli dicte ecclesie Metropolitane Rigen. petitum et Requisitum est a me notario publico et dicti sacri Concilij et eiusdem deputationis pro communibus scriba infrascripto fieri vnum et plura publicum et publica Instrumentum et Instrumenta Acta fuerunt hec Sub Anno Indictione diebus mensibus pontificatu et loco quibus supra Presentibus ibidem venerabilibus ac discretis viris dominis et Magistris Symone freron in sacra pagina baccallario formato Guidone de versellis magistro in artibus Johanne de vado Archidiacono Tuonensi litterarum apostolicarum scriptore et hugone baraydi Altero promotorum sacri concilij Testibus ad premissa vocatis et Rogatis

P. B.

P. Brunetj

Et me Petro Brunetti Baccallario in decretis Canonico Aurelianensi publico apostolica et imperiali auctoritatibus dictique sacri concilij Basilien. notario et eiusdem sacre deputationis pro communibus scriba quia premissis omnibus et singulis dum sic ut premittitur in dicta sacra deputatione pro communibus fierent et agerentur vnacum prenominatis testibus presens interfui eaque sic fieri vidi et audiui Ideoque hoc presens publicum instrumentum manu aliena fideliter scriptum exinde confeci manuque propria subscripsi signumque meum apposui consuetum Requisitus et Rogatus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum

In nomine domini Amen. Anno a natiuitate eiusdem Millesimoquadringentesimotricesimoquarto Indictione duodecima die vero Jouis vicesimaquinta Mensis februarii pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Eugenii diuina prouidentia pape quarti anno tercio Basilee sacro generali ibidem residente Concilio In maiori refectorio fratrum ordinis predicatorum Ciuitatis Basilien. Reuerendissimis Reuerendis in christo patribus et dominis dominis Brande miseratione diuina episcopo portuen. placentino Johanne tituli sancti laurencii in lucina presbitero Rothomagensi Sancte Romane ecclesie Cardinalibus vulgariter nuncupatis Johanne patriarcha anthiocheno philippo Archiepiscopo Turonensi [illegible]

Et Ego Conradus Hueslein de Geppingen Baccallarius in decretis clericus Maguntin. dioc. Sacra Imperiali auctoritate necnon sacrosancte Synodi Basilien. Notarius et eiusdem sacre deputationis Reformatorii Scriba specialiter deputatus [illegible] premissorum

In nomine domini Amen. Anno a natiuitate eiusdem Millesimo quadringentesimo tricesimoquarto Indictione duodecima die vero sabbati septima Mensis Marcii pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Eugenii pape quarti Anno eius tercio Basilee sacro generali residente Concilio In monasterio Augustinensium Ciuitatis Basilien. [illegible]

Georgius Frey

Et Ego Georgius Frey de [illegible] clericus [illegible] publicus Imperiali auctoritate Notarius [illegible]

In nomine domini Amen. Anno a natiuitate eiusdem Millesimoquadringentesimotricesimoquarto Indictione duodecima die vero Martis secunda mensis Marcii pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Eugenii diuina prouidentia pape quarti Anno tercio Basilee sacro generali residente Concilio [illegible]

J. Dieulesist

Et ego Johannes Dieulesist clericus [illegible] dioc. Baccallarius in decretis publicus apostolica auctoritate Notarius prefatique sacrosancti Basilien. Concilij et eiusdem sacre deputationis fidei Scriba [illegible] in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum